

CHRISTIANI FUNCCI,
RECT. GORL.
GAMICA
de

TALASIONE
COMMENTATIO,

AD
Virum Nobiliss. Ampliss. Præcellentissimumq̄,
DN.

M. GEORGIUM
WENDIUM,

*Illustris Classis Selectæ Olsnensis Profess.
ac Direct. Celeberr.*

In Incluto Palmif. Ord.

PLANTANTEM,
AMICUM CERTISSIMUM,

Filiam Primogenitam

VIRO
CL.


DNO GOTTLOB
CRANTZIO,

Ejusdem Classis Select. Adjuncto,

ANNO cl̄o Ibc LXXXV.

D. XXII. Oſobr.

OLSNÆ auspicatò collocantem.



GORLICH LUSATORUM
TYPIS CHRISTOPHORI ZIPPERI.

Antiqu. Rom.

324,12.



S. P.

P

Riscos non tantum Christianos, boni ominis causa, ab auspiciatissima illa Form. IN NOMINE DOMINI, omnia sua dicta & facta inchoasse, Tu ipsemet, VIR NOBILISSIME, AMPLISS. ac PRÆCELLENTISS. ex initio Apologetici GREGORII NAZIANZENI, nec non à JOH. CHRYSOSTOMI HOMILIA IX. ad Coloss. laudante & hunc ipsum morem CUNR. RITTERSHUSIO, eundemq; è Computo Samaritarum JOSEPHO SCALIG. eruenta, Religiosissimo item IMP. JUSTINIANO, idem se facere solitum, fatente, dudum didicisti; verum etiam, qui, alieni à Civitate DEI, à locorum agrestium compitis ac pagis PAGANI, juxta OROSIUM, dicebantur, Ethnicos, ut dicendi, ira rerum agendarum initium, bene ac sapienter quum Romanorum imprimis Majores id instituisent, à preceationibus cepisse, ex Opt. Optimi Principis Panegyrista PLINIO nosti. Solemne nimirum, quod P. RAMUS dudum observavit, vel ipsis Paganis erat præfari DIVOS, eosdemq; invocare: eò quod, PLINII mei verbis, nihil hi ritè nihilq; providenter sine Deorum immortalium ope, consilio, honore se auspicari posse, crederent. Solemne quoq; erat ante convivia DIs satisfacere, hosque secum ad temperantiæ custodiam in mensâ habere. Præprimis verò in matrimonialibus rebus pia hæc locum obtinebat solemnitas. Auguriis enim captatis Sacra Junoni maximè faciebant: quæ Græcis Τελεία, quod consummandis conciliandisq; matrimoniis præesse crederetur, dicebatur: cui & pro munerum, potestatum, inque re uxoria officiorum varietate varia cognomina dabantur, eruditè omnia à JUL. AUREL. HAURECHO exposita. Scilicet à ponendo cingulo, quod ante primum concubitus marito erat solvendum, vocabatur CINGIA. Quoniam veteri ritu Sponsam ad Sponsum prima nocte ducere Veteres consueverant, Juno erat INTERDUCA & DOMIDUCA. Quia moris erat, postes antè lanes vittis à virginibus ornari ac oleo perfricari, quam sponsum par limina transgrederetur, UNXIA ille audiebat. A conjunctione maris ac femine JUGALIS erat: erat PRONUBA Juno, Græcis GAMELIA dicta: utut SERVIUS Junonem Jugalem à jugo, quod matrimonio jungendis imponebatur, dictam malit, ipseq; & Jupiter Γαμηλιος dici meruerit: quod nuptiæ eidem pariter curæ essent, hujusque item omne matrimonia inirent prisca. Quæ & causa VARRONI fuisse videtur: cur nuces à novis maritis spargerentur pueris. In Jovis enim tutela erant nuces, juglandes omninò inde quasi Jovis glandes, observante id GENTILI ALBERICO, variantes tamen ad Virgilio hoc,

Sparge marite nuces, Tibi deserit Hesperus Oetam,

sententias ANDR. SENFTLEBIO examinante, dictæ. Bina, AMANDE FAUTOR, Numina, in matrimoniorum aditu invocari solita, habes. JOVEM nempe habes & JUNONEM: qui prisca ipsi occasionem mori dedere: ut mariti blandiendi causa uxores suas Junones, hæ vicissim maritos Joves appellarent suos, ex isthoc Plautino liquido à aère liquidius patente:

*Eja mea Juno! Non te esse decet
Tam tristem tuo JOVI.*

Certe

Certè verò quinque Deos, Nuptiarum Præsides, *PLUTARCHUS* commemorat: quibus & Sacra & Preces in ipso statim conjugii introitu faciebant. *Jupiter* nempe *Adultus* erat: erat *Adulta Juno*: *Suada*, *Venus*, *Diana* erant. *Deum* & *Jugatinum* invocabant: quum nubarent. Quum domum nupta duceretur, *Deus Domiducus* vocabatur. Ut domi esset, *Domicitium*; cum viro ut maneret, *Mantorianam* poscebant. *Juno Uxoria* rogabatur: quum postes ungerentur. Erat & alius, isque vel præcipuus, conjugalis *DEUS*, *TALASIO*, vel *TALASIVS* Latinis, Græcis *HYMENÆUS* dictus: quem per intercalares Versus lætissimis iterabant vocibus: ita ut unus aliquis caneret: donec, *JOH. MICH. DILHERRO* observatore, Epiphonema inferretur. *TALASIO* hic unde derivetur, cujusque sit originis, jamolim ab eruditis Viris quæsitum. *PLUTARCHUS* peculiarem super hac re *Διάσκεψιν* instituit. *Διὰ τὴν ὀ πολυβρύλλητον ἀδέλαι Ταλάσιον ἐν τοῖς γάμοις*; quærit ille, idque, quod partim ex historia, partim è ritu petiitum esse responderat, alius repetit alibi. Quò tempore, memoriæ prodit diffusissimæ Eruditionis Vir, *Romani Sabinorum filias*, *Romam* ad spectaculum profectas, rapuerunt, *TALASIO* virginem insigni formâ plebej quidam & ejus clientes afferebant: utq; eò tutius id possent, neque interciperentur, aut virgo raperetur, vociferabantur, eam se *TALASIO* adducere, juveni claro proboque. Ita reliqui, *TALASIO* honorem habentes, faustis acclamationibus eos sunt profecuti, τὰ *Ταλασίον μετὰ τοῦ τῆνομα Θεγγόμενοι*. Inde *Romanis* in hunc usque diem vox nuptialis facta. Nam, prosperè cessisse *TALASIO* conjugium hoc, ajunt. *Sextius Sylla* *Carthaginensis* retulit nobis, eam vocem pro signo dedisse *Romulum* ad raptum. Itaq; qui virgines abducebant, ἀπαύσις ἐβόων τὸν Ταλάσιον. Atque hinc relictus hic mos nuptius. Plerique, inter quos *Juba*, adhortationem & incitationem ad laboris sedulitatem ac lanificium esse, censent. Nam in scdere, quod *SABINI* post bellum pepigerant cum *Romanis*, ἐγένοντο συνθήκαι περὶ τῶν γυναικῶν, ὅπως μηδὲν ἄλλο ἔργον τοῖς ἀνδράσι ἢ τὰ περὶ τὴν Ταλασίαν ὑπεργῶσιν. Qui mos secutus nuptiis permansit: ut, qui elocarent puellas, vel deducerent, vel præsentem essent, omninò *TALASIO* acclamarent, per lusum restantes, ad nullum aliud munus, quàm ad lanificium, sponsam adduci. Hucusque *PLUTARCHUS*, ultimam quidem rationem magis probabilem esse, ipse conjiciens: ambigat licet alibi, aliundene, an à lanificio vox sit ducta? Polterius v. illud approbat *ALEXANDER* ab *ALEXANDRO*. Factumq; hinc, autore *PLINIO*, ut sponsa colum, lana comptam, in pompa cum fuso secum ferret: quasi verò ad opus faciendum, non ad deponendam virginitatem, deduceretur: aut sanè, quòd ejusmodi argumentis sedulitas futuræ Matrisfamilias designaretur. Intelligendus de lanificio hoc, cui priscae matronæ admodum deditæ erant, præcipuam eidem curam ac operam impendentes, *Locus Ovidii* esse videtur, in hæc desinens verba:

— — lanam mollire puella
Discant & plenas exornare colos.

Lanificium, inquit justissimus antiquarum literarum Hæres, *J. LIPSIUS*, *Romanis* antiquis impense curæ. Docent nuptiæ: in quibus sponsæ colus præferebatur cum lana. Cingulum erat è lana. Postes velati lanâ. Omnia videlicet signa & indicia matronis operæ futuræ. Lanam enim domi sedulo exercebant: telam texebant: conficiebant vestem. Et hæc omnia matrone etiam primi ordinis. Laudabile herclè, si quod aliud, *Romæ* institutum. Et ejusmodi operas, nere, texere, suere, exercebant in primore parte adium, i. e. in atrio: ad testificandam scilicet diligentiam suam, sive ad exemplum. A lana igitur sic *TALASIO* dicitur: quæ Græcis est *ταλασίον*, à *τάλαω*: quoniam magnos labores sustinent, qui lanam tractant. *ταλασία* ipsum est lanificium, & *τάλαρον*, vas sive instrumentum, quò ad lanificia utebantur, lanas & fusos in eo reponentes, *qualus*, *quasillus*. *FESTUS*: *Talasionem* in Nuptiis *Varro* ait signum esse lanificii: *τάλαρον* i. e. *quasillum*: pro quò Græcos dicere *τάλασον*, jamolim monuit *Plutarchus*. καὶ γὰρ, ait, τὸν *τάλαρον* *τάλαρον* ὀνομάζουσιν. Omninò perperam sic legitur in *ALDINO COD.* Quis enim pro *τάλαρον*, quum calathum vox ea significare debeat, non mallet legere *τάλασον*: ut ad *TALASII* vocem accommodus esset aditus? Literam ρ

quan-

quandoque in *mutata* non nescire eruditos, *GHIL. XYLANDER* monet: præsertim ubi *Papisti & Fusii* iidem sint, qui *Papirii* ac *Furii*; & *honor* pro *honor*, *odor* pro *odor*, apud *Plantum* legatur, & *Lases* pro *Lares* dictum scribat *VARRO*. Orthographia hinc vocis clarè patet: etiamsi alii *THALASSIO*, *THALASSIUS*, *THALASSUS* legant, per *Diplasiasmum* s. ingeminantes, atque h. inferentes. Id unde gentium sit, non admodum liquet. *MATTH. MARTINIUS*, ut *θαλαμον*, ita *THALASSUM* esse ex *θαλλειν* nos edocet: quòd sit ceu hortus divinitus consecratus: ubi germinet & vireat genus humanum, *TALIA*, alibi *MARTIN.* ait, unde *TALASSUS*. Esse autem *θαλια* germen, vel ipsi Grammatici norunt, Sed quis non videt: allusionem potius, hanc esse, quàm veram Etymologiam? Quicquid ergo sit, scire tamen heic sufficit: quòd Latinorum *TALASIO* planè idem sit: qui Græcorum *HYMENEUS*, boni ominis causà, ut *SERVIUS* & *DONATUS* olim observarunt, in Nuptiis invocari solitus, è non dissimili eventu *TALASIONIS* nomine apud Rom. deinceps enatò.

Hæc sunt, quæ, commoda mihi occasione datà, de *TALASIONE* commentari, & ad Te, *VIR AMICISSIME, CONJUNCTISSIME IN PALMIFERO ORDINE COLLEGA*, in svavissimæ Filia Nuptiis, ut boni ominis causà, ita pii ac grati animi studiò, scribere, etiam non invitatus, volui, debui: ut monumentum quoddam Posteris foret, *FUNCCIUM & WENDIUM* certissimos Amicos fuisse, *PYLADEM* alterum, alterum *ORESTEN*, utrosque indissolubili in distitis locis vinculo conjunctos. Ne verò in iisdem auspiciatissimis Nuptiis planè sim *ἀδωρ*: ecce Ego tria Neonymphis Tuis, *Filia* ac *Genero*, *Δώρα Ἐπώδουλια* LMq; offero. Offero aureis clavis confixum *NESTORIS SCYPHUM*: cujus ansæ erant quatuor, circa quamlibet quidem duabus aureis columbis pascentibus, cum Lemmate: *COMMUNIS UTRIQUE*. Offero *PARTHEN. SODALITATIS CATENAM*, ex annulis, non nexis sibi invicem, sed secretò complexis, à superstante magnete compositam, cum Lemmate: *ARCANIS NODIS*. Offero & *FRANCISCI II. VALESII*, Regis Gallia, *AUREUM NUMUM*: quem dextra ad *Lydium lapidem* probabat, cum Lemmate: *SIC SPECTANDA FIDES*. Voveo deniq; juxta hæc: ut *Filia* conjugium hoc sit auspiciatissimum, utq; ipsum Nepotibus, quibus primum ad honores ac latius audita nomina iter relinquant, in felicem posteritatem abeat. Non infelix *Erinnys*, non *Alecto*, Neogamorum concordiam temeret: sed *Amor*, sed *Gratia*, sed *Honor*, sed *Fortuna* comitentur *Filiam*, comitentur *Generum*, iisdem assideant, nec hospitentur in egrundem *Ædibus*, sed habitent! Ita videlicet precor, Deumque meum rogo: ut Te, *CARUM CAPUT*, fortem ac hilarem & Tuis & Mihi & Rei quoque literaria diutissime servet: dum Te interim pancraticè valere jubeo, Resq; Tuas omnes, Romulidum Verbo, *AGERE FELICITER*. Scripsi *ὡς ταχιστα* *GORLICII* Lusatorum Anno *Mess. cl. lxxv. xlii. Octobr.*

